

8.54.33

*Imp. Iustinianus A. Menaе pp.*

Illam subtilem observationem amputamus, per quam donationis titulo cessiones actionum accipientes non aliter eas suis transmittere heredibus poterant, nisi litem ex bis contestati essent vel ius contestationis divino rescripto meruissent. Nam sicut venditionis titulo cessas actiones etiam ante litis contestationem ad heredes transmitti permittitur, simili modo et donatas ad eos transferri volumus, licet nulla contestatio vel facta vel petita sit.

1 ¶ Quod et in procuratore constituendo ad movendas easdem cessas actiones similiter observandum erit, ut minime quis impediatur procuratorem cessarum sibi per donationem actionum dare, licet nulla litis contestatio facta vel petita sit.

2 ¶ Quae in bis tantum personis locum habere censemus, quae susceptis per donationem cessionibus adhuc superesse noscuntur: nam iam mortuis huiusmodi personis vetera iura super iisdem cessionibus posita servari concedimus.

*D. k. Iun. Constantinopoli dn. Iustiniano A. pp. II cons.*

[a. 528]